

- 5 Atque haec hactenus. Quod autem superioribus diebus excusasti diligenter occupationes tuas, propterea quod epistolae cuiusdam nostrae non responderas, nimis officiosus homo es, ut video, nimis humanus. me enim quamvis omnino equidem literas tuas gratissimas haberem, nihil delectare potest quod cum tua ulla molestia tribuatur. Tantum illud ignoscas velim quod, dum studio in te meo et amore obsequor, non sum veritus semel iterumque tuis occupationibus obstrepere. Licet autem per me tibi, dummodo amare non desinas, non solum non respondere ad literas meas, sed ne legere eas quidem, si ita sit commodum.
- Vale.

: IX :

Hieronymus Donatus Ioanni Pico Mirandulae s. d.

- 1 Quae meae partes esse debuerant, eas omnes tibi sumpsisti, Pice doctissime, te ipsum apud me negligentiae insimulans et in eo crimine, cuius ego apud te maxime reus sum, excusationem quaerens. Parum tibi videtur alios ingenio et eruditione praecellere, nisi modestia quoque et humanitate vincas non solum alios, sed te ipsum. At vero, obsecro, harum virtutum munera ita amplectaris ut nobis quoque aliquam obeundi officii nostri occasionem relinquas, ne dum harum omnes tibi partes vindicas, nos inhumani atque inciviles habeamur, qua ego in re (quae mea est impudentia) iam non excuso negligentiam meam, sed accuso humanitatem tuam.
- 2 Quod scribis te non temporariam mecum sed perpetuam amicitiam statuisse, non solum ea causa tibi me plurimum debere intelligo, verum etiam recte mihi amicitiam definisse videris, quae temporaria cum sit, iam amicitia esse non potest. Illud scito: me eam in meorum ornamentorum delectu seposuisse. Quid enim mihi accidere potest praeclarius quam a tanto viro non laudari solum sed etiam amari?
- 3 Hermolaus noster incredibilem doctrinarum tranquillitatem et studiorum *φιλοπονίαν* curat, maxima utilitate eruditorum. Video esse summum ac rarum quiddam quod sperare possunt literae, eo incolumi. Eius ego consuetudinem, quam mihi tantopere invidēs, eadem penu servo qua et amicitiam tuam. Nihil praeterea adeo *θανμαστὸν* censeo quod assequi ingenio et eruditione non possis, praesertim quia audio te *τῆς ἐλληνικῆς παιδείας χάριν* istuc demigrasse. Quod ego consilium ita laudo ut magis laudare non possim. Nam *οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι*.
- 4 Ego Politianum tibi invideo, hominem fertilissimi et facundissimi ingenii, cuius Rusticum nuper legi. Visus est mihi splendor aetatis nostrae et *πῶν ἐπ' ἑλαθεία πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος*, cui ea de me polliceri te meis verbis postulo quae ab homine amicissimo expectare potest. Utor autem te internuntio in auspicanda mihi cum eo benivolentia, cum fretus humanitate tua, tum quod *τῶν Μουσῶν καυρὸν στόμα* per te, qui eruditissimus es, me conciliari convenit.

5 Vale, et puta nihil mihi tuis literis esse iucundius. Plura laxiore ocio ad te scribam.

Venetii, xvii Kalendas Ianuarias MCCCCLXXXIII

: X :

Angelus Politianus Hieronymo Donato¹ suo s. d.

- 1 In epistola quadam tua ad Picum nostrum cum me pleraque delectassent, tum ut ad te scriberem subinvitavit iudicium quod affers² de Rustico nostra³, utinam quidem tam verum quam honorificum, quod ego tamen non iudicium adeo de me sed studium potius in me ac beneficium interpretor.⁴ neque enim ita mihi sum inexploratus ut tibi, amicissimo homini, atque⁵ ob id minus integro iudici, plus de me credendum statuam quam ipse⁶ mihi, nisi forte ita me ludit illa poetarum (quod Horatius inquit) amabilis insania ut nunquam congrediar tecum, nunquam de tergo in pectus manticam revocem. Quod si poeticen sequitur, velut umbra corpus, 'caecus ille amor sui,' qui *φιλαυτία* dicitur quaeque plerosque infatuat, 'et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,' fateor iam nunc, piget me candidatum poetices haberi, tam ingrata vice, tam tristi ac poenitenda mercede. Alioqui ne Lycius quidem ille me stultior *χρύσεια χαλκείων* demutaverit *ἐκατόμβοια ἔννεαβοιῶν*.
- 2 Caeterum nihil minus debemus tibi, vel sentienti de nobis vel sentiri ab aliis postulanti quae nec agnoscat conscientia nostra nec ferat pudor. Sive enim, ut caeteros fallas, ne tua quidem ornamenta, hoc est laudum tuarum supellectilem, mihi invides, sive ipse falleris potius, meaque te vel vitia delectant, utrunque amoris est, et quidem non vulgaris, siquidem Achilles quoque Patroclo sua arma induit, et Alcaeum vatem naevus etiam in articulo pueri delectabat. Quare, si me amas, id quod scio, iam scilicet dubitare non potes quin ego te redamem, siquidem aiunt amorem nullo magis emi quam se ipso. Neque tamen sicut amantem mutuo amo, ita laudantem vicissim te laudo; quippe in reponendis beneficiis lex est illa Hesiodi custodienda, ut eadem mensura reddas, aut etiam cumulatiore, si possis. Sed cum tu (quas habes orationis divitias), cum tu, inquam, isto ingenio vir, istaque doctrina, in me unum e medio homunculum laudes tantas, ipso (quod aiunt) horreo, congesseris, qui possum ego, de reditu maligni incultique soli, saltem alterum tantum tibi, nedum⁷ plus aliquid, remetiri, nisi tamen, velut Echo illa, tuas tibi voces regeram atque refundam? Sed vereor ne si quaecunque dederis resignavero, tibi que laudes tuas quas precario possideam remisero, nudum ipse me statuam et, ut illa Aesopi cornicula plumis ablatis, moveam risum.
- 3 Atqui tamen nec illud saltem me potes ingrati reum peragere, cum vicarium pro me solutionem sponte suscipiat ac meas partes sublevet sacer hic—Picus dicam, an Phoenix?—cuius tu semper in ore illo es, Musarum Gratiarumque pleno, quo scilicet inspirante nos quoque impellimur ad te, supra etiam quam valemus,

sed tamen adhuc infra quam cupimus,⁸ efferendum. Nam par quidem tanto perferendo oneri ipse est solus. Nos autem de eo sic pendemus ut de magnete⁹ Platonis anuli ferrei, ipseque in nos vim quandam arcanam depluit, quasi *ένθουσιασμόν*, qui plus etiam posse nos cogit quam sponte possumus. Ipse quasi pausarius modos et incitamenta dat nobis laudandi tui, laudandi una tecum Hermolai Barbari, hominis, ut mihi quidem videtur, unius ex reliquiis aurei saeculi, quamvis ipse longe doctior, et non illi sanctiores. Sed ingressos plerunque nos super vobis aliquid *ράψωδέιν*, tam multa in caelum aura levat ut Icarium quandoque casum formidemus. Vides autem nunc quoque me, quasi *νυμφόληπτον*, etiam in epistola nescioquid exhibere *διθυραμβικώτερον*. Quid tu igitur frontem obducis? An scilicet te fugit indulgendum hoc mihi, quicquid est furoris, vel quod paulo humanioris iuxta adamo ac sum (quod dicitur) amussis alba, vel quod tibi quoque non abhorrens videor a Musis, Picoque item ipsi, et fortasse Hermolao, triumviris scilicet literariis, qui si me vel tantillum probatis, iam nunc medium ostendo digitum, non popello tantum, et literatoribus, sed philosophis adeo ipsis, ne excepto quidem Platone, sed Florentino.

Vale.

: XI :

Hieronymus Donatus Angelo Politiano suo s. d.

- 1 Ego vero, Politiane doctissime, tui erga me amoris fructus gratissimos et iucundissimos cepisse me sentio, neque aliunde uberiores honorificentioresque proventus expecto. Nam et in amicitia respondisse te video *αὐτ? τ? μέτρῳ λώϊον*, et te (id quod nunquam dubitavi) non Politianum modo, verum et *πολιτικώτατον λώϊον* esse percipio, sociata tam rara exactaque eloquentia infinitae prope humanitati atque modestiae. Quod si rationes negotiorum meorum excussero atque invicem retulero, nihil me ab eo die quo ad Picum novissime scripsi praestantius lucrificesse comperiam tua hac epistola—dii boni, quantum Attica, erecta, exulta, quantum denique amabili, ut in ea summus amor, summa eruditio contendere videantur, neque facile utrum excellat dignosci possit. Utriusque rei evidentissimas causas coniectari facillimum est. Eruditio enim divino ingenio, studio infatigabili, tota ex te ipso summa est. Benivolentia vero non ingentissima esse non potest qua me, Pico auctore, complexus es. Ego tamen iam antea amare te coeperam, sed defuit illa *είς ταὐτὸν συνάγουσα ὁμιλία*, qua tamen in posterum beneficio literarum non indigebimus.
- 2 At tamen meminisse te suspicor (fere enim quinquennium agitur cum apud nos versabaris) te Hermolao ac mihi, tunc parentis et patruum morte squalido ac pullato, carmen illud aureum de sacri-lega ac sanguinaria Iuliani caede recitasse, ex quo nunquam apud me eruditorum hominum mentio facta est quin mihi ex omnibus

primus occurreres. mox in tua illa Rustico elegantissima, magnus a me semper habitus, maior inventus es. Quamobrem id tibi persuasum velim: ea te mecum amoris et officium fundamenta iecisse ut nullo casu ruere, nulla vi convelli possint, cuius fructus candidissimos et mihi omnium longe gratissimos, hoc est literas tuas, expecto. Neque solum literas, sed interdum quoque amoenissimas Musas, quae cum ad me venerint, tunc maxime Theocriti carmen illud suavissimum cantabo:

τῆς μοι πῆς εἴη πλείος δόμος, οὔτε γὰρ ὕπνος
οὔτ' ἔαρ ἔχαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
ἴνθεα, ὅσσον ἐμοί Μῶσαι Πωλιτιανοῦ φίλαι.

- 3 Vale, et me ama, a quo amaris plurimum.
*Venetii, vi Idus Iunias MXVD*¹

: XII :

Hieronymus Donatus Angelo Politiano suo s. d.

- 1 Salve, Politiane mi. Tam diu humanissimis literis tuis respondere distuli ut putem me nunc potius ad te scribere quam rescribere. Imputabis sive occupationes publicas sive privatam desidiam, modo abdicis omnem aut oblivionis aut arrogantiae suspicionem. Equidem, Politiane mi, nullum ego thesaurum comparari¹ posse censeo amico qui et probus et doctus sit. Nec aliunde homini locupletior felicitatis proventus accedit quam ex vera incorruptaque amicitia quam virtus probitasque conciliat. Quo fit ut ego saepissime vestram istam, sub parente patriae Laurentio, Academiam absens mirari et amare maxime soleam, in qua praeclara simul optimarum artium morumque pretia contra pertinacissimas animi sordes, vitium atque inscitiam, conspiraverunt. Quorsum haec?² Ut facile tibi persuadeas me, quanquam tardius rescripserim, sum mopere tamen delectatum esse humanissimis et eruditissimis literis tuis. In iis praeclarum istud vestrum ocium intueri licet, et doctrinarum quietem vobis invidere. Nam nos et publica et privata dstringunt, et nostra fere sunt temporis furta, non studia. Gratulor vobis amoenissimas Musas, literatissimum ocium, quibus absens impense faveo, subscribo, et bene opto, cum vestra, tum bonarum artium causa. Sed haec satis.
- 2 Scio istic apud vos esse conplura Alexandri Aphrodisei volumina in variis generibus doctrinarum, praecipue vero in philosophia naturali. Sunt item apud me hic nonnulla illius opera, mire erudita et gravia. In his habentur duo volumina *Περὶ ψυχῆς*, quae per hos dies perlegi. Alterum ex his voluminibus principium habet eiusmodi: *Περὶ ψυχῆς τί τ' ἐστὶ καὶ τίς αὐτῆς ἡ οὐσία*. Is libellus apud me fere post principium mutilus est. Cupio me certiore reddas numquid apud vos in delectissima ista Medicum bibliotheca totius atque incolumis sit. Quod si, ut spero, illaesus et integer, mihi gratissimum facies si primum eius libri caput trans-

cribi feceris, et ad me mitti curaveris. Si negocium librario commiseris, neque praeceleri, vix horam absumet.

- 3 Vale. Picum meum salvere iube. Cum dico Picum, doctos etiam omnes intellego.

Iterum vale.

Mediolani, pridie Calendas Apriles MCCCCLXXXX

: XIII :

Angelus Politianus Hieronymo Donato suo s. d.

- 1 Etsi literarum tuarum semper incredibili desiderio teneor, propterea quod mihi ex eruditione fructus, ex elegantia¹ voluptas, ex auctoritate summus honos conciliatur, facile tamen id ego differri nonnunquam patior, vel ne te a studiis avocem potioribus, vel certe ut exemplum mihi tuum, sexcentas iam debenti epistolas, patrocinetur. Roges causas tanti debiti. Non inficior desidiam esse primam, quae mihi semper, nescio quo pacto, fuit in deliciis. Sed tamen et occupatiunculae, vel trichae² potius ineptae quaedam molestaeque nimis, ocium omne meum pene inter se scripulatim partiuntur.

- 2 Nam si quis breve dictum quod in gladii capulo vel in anuli legatur³ emblemate, si quis versum lecto aut cubiculo, si quis insigne aliquod, non argento dixerim, sed fictilibus omnino suis desiderat, illico ad Politianum cursitat, omnesque iam parietes a me, quasi a limace, videas oblitos argumentis variis et titulis. Ecce alius Bacchanalibus Fesceninorum argutias, alius conciliabulis sanctas sermocinationes, alius citharae miserabiles naenias, alius pervigilio licentiosas cantilenas efflagitat. Ille mihi proprios amores stultus stultiori narrat, ille symbolum poscit quod suae tantum pateat, caeterorum frustra coniecturas exerceat. mitto scholasticorum garritus intempestivos, versificatorum nugas, seque et sua de more admirantium, quae cottidie cuncta demissis auriculis perpetior. Quid plebeculam dicam, vel urbanam vel agrestem, quae me tota urbe ad suum negocium quasi naso bubalum trahit. Ergo⁴ dum proterve instantibus negare nihil audeo, cogor et amicos vexare caeteros et (quod molestissimum est) ipsius in primis Laurentii mei Medicis abuti facilitate. Quare adeo mihi nullus inter haec scribendi restat aut commentandi locus ut ipsum quoque horarium sacerdotis officium pene (quod vix expiabile credo) minutatim concidatur. Postremo cum nihil faciam, nunquam sum tamen ociosus; immo dum cuiusvis esse compellor, nec meus esse plane nec cuiusquam possum. Proinde sicubi distulero posthac aut omisero ad te responsum, scito me statim, sicuti soleam, nugas agendo fuisse occupatum.

- 3 Laurentius Medices noster, vel ex epistolis tuis, quas ei semper honoris mei causa recito, vel ex huius magni Pici testimonio, qui tibi plurimum tribuere solet, ita te iam diligit ut nobiscum fere contendat. Hermolaum vero ipsum Romae, hoc est quam⁵ oculatissimo loco, legatum fore mire gavisus est, etiam studiorum no-

mine, quem sic expectamus avide ut spe iam totum pene contriverimus. Quod si, semel in itinere exceptus, abire a nobis properabit, iam nunc dico atque edico, 'Vae hominis togae, vae laciniis!'

- 4 Alexandri vero quos ais De Anima libros, nullos ipsi prorsus hic habemus. Sed nec extare quidem suspicabamur, quod ex indice quoque ipso quem Seraticus at te misit animadvertes. Quin rogamus ego et Picus ut, cum Venetias (quod propediem fore nuntiant) remeaveris, eius describendi copiam Laurentii Medicis librario facias.⁶ Equidem nonnullas Alexandri huius peracutas in philosophia quaestiones, anno iam tum superiore, Latinas feci. Sed et te quaepiam scriptoris eiusdem narrat Seraticus interpretari. Tum Grimanus proxima aestate missurum se mihi exemplar alterum, quod tibi pridem commodaverat, ultro est pollicitus. Qua de re coniecturam facio potuisse illud accidere ut eundem uterque, forte fortuna, librum converterimus. Hoc si non falso rationcinor, iam scilicet spongiam cogito,⁷ rogoque mihi de eo quam primum significes, ut ipsum saltem limae laborem lucrifaciam.
- 5 Vale, meque Iacobis duobus, Volterrano et Antiquario, hoc est humanitatis ac probitatis geminis exemplaribus, commenda.

Florentiae, x Calendas Maias MCCCCLXXX

: XIV :

Hieronymus Donatus Angelo Politiano suo s. d.

Accepi Miscellanea. Percurri. Iucundissima lectio, in qua delectari et iuvari vel doctissimus quisque possit. At, inquires, praeceptum iudicium est quod obiter fertur. Sed cum de re literaria agitur, iudicare de te possumus, abdicatis iuris solemnibus, etiam stantes, adeo cuique securum est de eruditionum controversiis cum Politiano in tenebris quoque dimicare. mihi autem in eo opere tantum tribuis quantum nec agnosco nec postulo. Perge (quod facis) iuvare bonas artes, neque formides blatteratorum et sciorum aculeos. Nunquam caruere invidia egregii fortesque conatus. ἄλλ' ὁμῶς (κρέσσων γὰρ οἰκτιρῶν φθόνος) μὴ παρίει καλά ? νόμα δικαίῳ πηδαλίῳ Latinas literas. Fortasse enim ii maxime ex opere profecturi quibus id magis sordescere videbitur.

Vale.

Mediolani, vi Calendas Novemb. MCCCCLXXXVIII

: XV :

Angelus Politianus Hieronymo Donato suo s. d.

- 1 Non est is auctoritatis meae rigor ut invidentium flatus¹ quasi ventorum tuto possit excipere, nisi vestris paucorum testimoniis, velut adminiculis, ipsa per se decidua fulciatur. Equidem multorum accepi literas, ex quo Miscellanea publicavi, laudantium scilicet (ut

fit) et gratulantium. Sed nescio quo pacto, de tuo, de Barbari, de Pici, de istiusmodi perpaucorum iudicio, sic ipse me censeo ut tum denique stare videar, cum puncta omnia tulerim suffragii vestri. Quanquam etiam istinc reddita mihi nuper epistola est, Iacobi Antiquarii, mire gravis et erudita, quem mihi virum minime alioqui facie notum, saepenumero tamen Laurentius Medices meus a literis, a moribus, a prudentia commendaverat. In ea profecto epistola, nec honestam indolem, nec expressam quandam vetustatis imaginem, nec textum illud operosius, quale vestrum est, nec ullum denique stili cultioris ornamentum requisiveris, ut admitti, ni fallor, in ista quasi praerogativum tribuum iure debeat. Sed de hoc ipsi videritis.

- 2 Epistolam vero ad me tuam legit idem Laurentius, et quidem non incuriose, lectamque verbis exquisitissimis laudavit sic ut mihi quoque apud illum magna accesserit de tuo felici calamo commendatio. Nam quanquam mihi ille vir plus meritis semper tribuit, tamen ut tuas legit literas, visus est nescio quo pacto favere propensius iudicio de me suo, et pluris aliquanto me post eam diem facere, quam antea consuevisset. Iamne igitur sentis quantopere isto literarum nomine debeam tibi, per quem factum sit ut sibi iam Laurentius ipse placeat, quod ego non displiceam? Quare te rogo, cum tibi a re publica ocium fuerit, scribas aliquando ad Politianum tuum, putesque te non epistolas ad ipsum sed stipendia mittere, sed sacerdotia², sed honoris titulos, omniaque denique vitae humanae commoda. Quorum cum semper auctor ei Laurentius unus extiterit, tanto subinde potiora collaturus videtur, quanto eundem gratiorem vobis, hoc est religiosissimis artium bonarum censoribus, intellexerit.
- 3 Ioannes Picus Mirandula, lux omnium doctrinarum, salutem tibi adscribit, et ut item Merulae Puteolanoque nunties uterque rogamus.

Vale.

Florentiae, Calendis Decemb. MCCCCLXXXVIII